



Theologiæ Sacramentalis Scholasticæ Et Moralis Pars ...

Ad Mentem Doctoris Subtilis Ioannis Duns Scoti D. Augustino conformen

In qua tractatur de Sacramentis in Genere, & duobus primis in specie

Bosco, Jean a

Lovanii, 1665

Concl. V. Recipitur effectus Martyrij cùm per vulnera aut cruciatum homo naturaliter certò ad mortem disponitur: adeoque plures aliquem posse Martyrem fieri putamus.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-73340](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-73340)

tutum ad aliquem finem; aliud autem extraordinarium, per accidens in defectum alterius ad eundem finem assumptum, indubie obligat medium ordinarium & per se, quando possibile est.

Alioquin dicamus Martyrem posse negligere Baptismum, negligere confessionem, etsi commodissime queat illa Sacramenta, remedia ordinaria & per se instituta ad remissionem peccatorum suscipere: quod non puto facile Vegam concessurum; nisi etiam velit concedere peccatorem in articulo mortis relicta confessione, contentum posse esse contritione.

Ne dicere
debeamus
Martyrem
posse negli-
gere baptis-
mum &c.

71.

Sufficit
quandoque
virtualis con-
tritio aut
attritio

Interim tamen plane mihi persuadeo, in casu naturalis oblivionis peccatorum, aut inculpatæ ignorantæ præcepti penitentia, sufficere formalem dilectionem Dei super omnia, quæ est virtualis contritio, aut etiam actum supernaturalem spei, quæ est virtualis attritio. Unde si voluntas pro Christo moriendi talis sit, ex qua moraliter certò, si peccata & præceptum penitentia occurrerent, nasceretur formalis contritio vel attritio, cur non sufficiat ad verum Martyrium, uti sufficit ad verum, immo fructuosum Baptismum? Eò semper salvò, ut (sicut dictum est disp. 1. sect. 5. conclus. 2.) sit actus supernaturalis.

Rogat aliquis, quare non distinguam inter Martyrium verum, & fructuosum, sicut inter Baptismum verum, & fructuosum? Respondeo; quia Ecclesia agnoscit verum Baptisma sine effectu gratia sanctificantis; non constat autem agnoscere verum Martyrium. Alioquin quæstio erit de nomine, in qua sequimur communem modum loquendi Ecclesie. Et sanè immeritò videtur vocari Martyr, qui nullum accipit vel umquam accipiet effectum Martyrii; porro quicumque valide baptizatur impressum suscipit characterem Christianitatis.

Neque di-
stinguendū
est verum
Martyrium
à fructuosum.

72.

Ad utrum-
que sufficit
& requiritur
ad minus
attritio su-
pernatu-
ralis.

Igitur ut ad primum redeamus, & conclusioni coronidem imponamus, satis certum apparet, quòd in peccatore adulto ad effectum Martyrii, & per consequens, juxta sensum Ecclesie, ad verum Martyrium, requiratur ad minus attritio supernaturalis, saltem virtualis; conteri tamen, imò & baptizari, vel Sacramentum Penitentia recipere deberet, cui id foret possibile; adeoque ni faciat, ostendit se non esse verè attritum, cum attritio, juxta Concil. Trident. sess. 14. c. 4. sit animi dolor ac detestatio de peccato commisso cum proposito de cætero non peccandi: ipse autem actualiter peccet.

Sequitur quæstio quo tempore vel in-

stanti Martyrium conferat suum effectum. Resolutio erit

CONCLUSIO V.

Recipitur effectus Martyrii cum per vulnera aut cruciatum homo naturaliter certò ad mortem disponitur; adeoque pluries aliquem posse Martyrem fieri putamus.

Videtur esse Scoti 4. dist. 4. q. 6. n. 4. ibi: Ad aliud dico, quòd baptizatus bap-
tismo sanguinis, si postea est nobissem viator,
tenetur affectu, & pro loco & tempore recipere
effectum Sacramentum, id est, Baptismum suum;
hoc autem quod supponitur est bene possibile, sicut
de quibusdam legitur, quòd sunt facti his
Confessores, quia sustinerunt bis penas (na-
turaliter illativæ mortis) pro fide. Hæc ille.
Nec video quid efficaciter possit obijci;
imò cur non debeat ita dici, supposito
quòd ad verum Martyrium non requiritur,
ut mors re ipsa sequatur, de quo diximus
supra.

Ratio ergo conclusionis est, quia hoc ipso sive instanti sive tempore, quòd homo sic disponitur, jam est verus Martyr, & Martyrium est intrinsecè & essentialiter completum. Quidni igitur eodem instanti vel tempore conferat suum effectum in hac causa naturalis non impeditur?

Dices; ex hac conclusione sequitur, Martyrem adhuc posse damnari. Respondeo concedendo totum de absoluta potentia, ubi enim contrarium revelatum est? Quid si enim Deus Martyrem jam mortuum resuscitet? Quæ implicancia ut peccet mortaliter, & si in peccato usque ad mortem perseveraverit, finaliter damnetur? Nulla prorsus: sibi ipsi enim imputare debet quòd peccet, cum possit non peccare, & consequenter quòd damnetur.

Cæterum quia damnatio talis Martyris nimis dura apparet, ad divinam providentiam spectabit (tamquam multo communiùs divinæ bonitati) Martyrem in accepta gratia conservare, dando auxilia congrua, vel certè amissam per ordinata media restituere.

Enimverò cum re ipsa ille habuerit, quidquid heroicæ actionis in Martyre considerari potest, & quodammodò fuerit naturaliter ipsi jam debita gloria, non est factile credendum Deum fecisse illud miraculum.

Deus tamen id non permittere. culum, ut postea permitteret eum in aeternum perire; quia huiusmodi miracula in favorem potius fiunt Martyrum, quam in odium.

75. Sed instas; saltem praesumi posset, & merito talem Martyrem saepius postea peccare venialiter; adeoque pro tali orando non facerem ipsi injuriam; quod videtur esse contra sensum Ecclesiae dicentis: *Injuriam facit Martyri, qui orat pro Martyre.*

Pro tali autem non esse orandum.

Non concluditur ex verbis D. Augusti.

Respondeo, vel dicendum tales miraculose à morte praeservatos aut resuscitados non esse veros Martyres, neque umquam Martyrij effectum consecuturos, quod Adversarij non audent: vel omnes dicere debemus, dictum Ecclesiae, desumptum ex Aug. ut supra ostendimus, intelligendum esse de Martyribus omnino completis & perfectis, qui in ipsis tormentis mortui sunt, & mortui permanserunt.

Qui loquitur de Martyribus in pace quiescentibus.

Et hanc esse mentem D. Aug. patet ex eius verbis supra allegatis ex Tract. 84. in Joan. quaerit siquidem; cur magis oremus pro alijs, qui in pace quiescunt, quam pro Martyribus; ergo loquitur de Martyribus, qui in pace quiescunt; non est autem pax in hac vita, nisi ex speciali Dei privilegio, quod praeservavit Beatam Dei Genitricem Mariam ab omni peccato tam mortali, quam veniali.

Porro an tale privilegium providerit Deus huiusmodi Martyribus, nolum ego hic definire; quia res planè incerta. Potuit providere si voluit, an voluerit, ipse novit, cujus est providere. Hoc indubitanter assero, peccata venialia, aut etiam mortalia, si quae ab illis committantur, non deleri per gratiam Martyrij praecedentis, tamen ea in fine vitae solum darentur; sicuti non remittuntur peccata sequentia susceptionem Baptismi per gratiam illius, quantumvis tempore subsequenter, ut ostendimus disp. praeced. sect. 6. conclus. 3.

76. Contra objectionem.

Arguis rursùm: Inter 40. illos Martyres, quos Ecclesia colit non à Martij, unus suscepto vulnere lethali, hoc est, inter congelatas aquas projectus, ubi naturaliter mortuus erat, defecit tamen, & dein in peccato mortuus est.

Responsio.

Respondeo objectionem non esse ad propositum: ille enim tunc habuit naturalia media evadendi, & peccando fugit causam naturaliter illativam mortis. Igitur non susceperat vulnus lethale. Siquidem impraesentiarum non reputatur vulnus lethale illud, quod neglectum potest causare mortem: sic namque jejunans ad mediam horam, jam esset dispositus naturaliter ad mortem; quia si in illo jejunio perma-

Explicando quid hic sit vulnus lethale.

neret tandem extingueretur: sed dicitur vulnus lethale illud, contra quod non est naturale remedium, & necessarium ut jam inflictum causet mortem: tale autem non erat projectio istius militis inter aquas congelatas; naturaliter enim supervixit, & alij etiam fortè supervixissent, qui tamen diutius permanerant in aquis congelatis, nisi per fractionem crurium Deo placuisset eos coronà Martyrij condecorare.

Sed numquid vulnus lethale erat missio Joannis Evangelistae in ferventis olei dolium? Nemo dubitat; tanto siquidem tempore in illo permansit, ut naturaliter non posset supervivere. Ideoque Ecclesia recollens hoc miraculum die 6. May recitat officium Martyris.

77. Quale fuit missio in olei ferventis dolium,

Neque obest, quòd deinde specialiter celebret mortem ipsius in albo colore, ac si Martyr non esset; non obstat, inquam, quia potuit Ecclesia velle, & de facto voluit, ob excellentiam sanctitatis tanti Apostoli & Evangelistae, pacificam ejus mortem particulari festo celebrare. Alioquin simpliciter in rubro colore celebrat festum Sanctae Theclae Virginis & Martyris, tamen post varia tormenta divinitus superata, tandem in pace quiescebat.

78. Quibus non contrariatur Doctor Angelicus.

His nequitiam contrariatur Doctor Angelicus, sed magis favet, quando 2. 2. q. 124. a. 4. ad 4. dicit: *Contingit quandoque quod aliquis post mortalia vulnera pro Christo suscepta, vel quascunque alias tribulationes continuatas usque ad mortem, quas à persecutoribus patitur pro fide Christi, diu vivat: in quo statu actus Martyrij meritorius est; & etiam ipso eodem tempore, quo huiusmodi afflictiones patitur.*

Toto etiam eo articulo, ut ex ratione illius constat, non requirit aliud ex parte hominis nisi tolerantiam illam, quae perfectissime testificetur veritatem fidei: illa autem testificatio consistit adaequatè in tolerantia vulneris lethalis: nam quòd deinde divinitus impediatur mors, non spectat jam, ut sic dicam, ad tolerantiam hominis, sed ad solum Deum, qui eam impedit miraculose; maxime cum ordinariè loquendo acceptis vulneribus omnino lethalibus, vix soleat homo sibi amplius esse praesens.

79. Aliqui recedunt ad ultimum vix instantis instantis,

Nihilominus, ad evitandum inconveniens peccati in vero Martyre, malunt quidam dicere, effectum Martyrij conferri in ultimo instanti vitae, si hoc sit vitae intrinsicum, ita ut homo desinat per ultimum sui esse: sin autem sit extrinsecum, ut habet communior sententia, docent tunc effectum Martyrij conferri in aliquo instanti, vel tempore imperceptibiliter praecedente, quò

Alij ad instans aut tempus imperceptibiliter præcedens;

80.
Alij æquè commodè assignant instans aut tempus perceptibile;

quò Martyrium censetur moraliter consummatum, & quò Martyr ob destitucionem usûs rationis peccare nequeat, aut certè Deus cum non peccatum prævideat.

Sed quid est accessu recurrere ad instans, vel tempus imperceptibile, quandò æquè commodè potest assignari tempus, vel instans perceptibile? Peto enim an in illo instanti vel tempore imperceptibili possit per miraculum supervivere?

Si negas: ergo jam simpliciter mortuus est; ergo secundum communiorem sententiam illud instans, vel tempus est extrinsecum, & per consequens Martyr in instanti vel tempore post vitam finitam accipiet effectum Martyrij, quæ sententia videtur parùm probabilis: nam tunc posset dari casus, quò moreretur quis inimicus Dei, & tamen salvaretur. Daretur etiam momentum, in quo posset anima recipere gratiam, & non amittere: adeoque status merendi, & demerendi non essent pares.

Sin verò affirmas in illo instanti, vel tempore imperceptibili adhuc posse Martyrem per miraculum supervivere, jam incurris inconveniens, quod vis evitare.

Et sanè quid impedire queat omnipotentiam divinam, ne Martyrem defunctum resuscitet, hæc tunc non invenio. Quod ergo tali casu dixeris de præsertione resuscitati Martyris à peccatis mortalibus vel venialibus, idem dicito de præsertione Martyris, cujus mors miraculosè fuit impedita, & cessabit omne inconveniens, quod tantopere times.

Nec poterit tibi displicere hæc illatio: Ergo pluries aliquis potest fieri Martyr, si mirum diverso tempore lethalia vulnera inferantur, v. g. hodie cum Joanne Evangelista mittatur in ferventis olei dolium, à quo divinà virtute illæsus exeat: post annum autem decapitetur. Sin autem moraliter simul inferantur v. g. haustò venenosum statim suspendatur, aut alio mortis genere afficiatur; cum disponat ad eandem mortem, non videtur propterea Martyr duplicatum Martyrij effectum consecuturus.

Cæterùm si à me quæritur, an effectus Martyrij collatus fuerit etiam ante Christi adventum? Item an Martyrium sit positum in præcepto? vel liceat ad illud se offerre? Respondeo:

CONCLUSIO VI.

Privilegium Martyrij extitit ab initio mundi. Rarò Mar-

tyrium est in præcepto. Nec licet se ad illud offerre citra justam causam.

Prima pars probatur ex illo Christi Matth. 23. v. 35. *Ut veniat super vos omnis sanguis iustus, qui effusus est super terram à sanguine Abel iusti usque ad sanguinem Zacharie filij Barachie, quem occidistis inter templum & altare.* Loquitur autem de sanguine Martyrum, ut patet ex versu præcedenti: *Ecce ego mitto ad vos Prophetas, & Sapientes, & Scribas, & ex illis occidistis, & crucifigistis, & ex eis flagellabitis in synagogis vestris, & persequemini de civitate in civitatem.*

Profectò ante passionem Christi fuisse veros Martyres patet in Innocentibus, & Joanne Baptista. Quidni etiam ante adventum? Nonne Machabei tamquam Martyres ab Ecclesia coluntur? Unde Nazianzenus oratione 20. quæ est de Machabæis, docet illos in fide Christi consecutos esse justitiam, & effectos esse nive candidiores. Consentit Terull. & alij, quos refert & sequitur Henriquez lib. 2. c. 36. n. 1.

Cur igitur non fuisset verus Martyr, qui ab initio mundi mortem gustasset ab impijs ne adoraret idola, vel ne desereret verum Dei cultum; aut contra illius mandatum offenderet? Enimverò non minoris est laudis id fecisse ante adventum Christi, eius exemplo necdum proposito, quàm postquam Christus passus, nobis imitandi eius vestigia exemplum reliquit. Nam, ut ait Nazianzenus supra, qui Martyrium subire ante Christi passionem, quid facturi erant, post Christum persecutionem passi fuissent, eam mortem nostræ salutis causâ susceperant ad operandum propositam habuissent? Quorum enim nullo proposito exemplo talis tantæ virtus fuit, an non ij exemplum illud intuentes, fortius in certamen descendissent?

Nemo ergo miretur si justum Abelem dixerim Martyrem, qui minime resistendo, pro Domino ab impio fratre occisus fuit. Pro Domino, inquam; quid enim dicit Scriptura Gen. 4. v. 4. *Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius.* Ecce causa mortis: sequitur namque: *Ad Cain verò, & ad munera eius non respexit; inanisque est Cain vehementer, & concidit vultus eius.* v. 5.

Si adhuc dubitas consule discipulum, quem diligebat Jesus cap. 3. Epistolæ 1. v. 12. *Non sicut Cain, inquit, qui ex malo ligno erat, & occidit fratrem suum. Et propter quod occidit eum? Quoniam opera eius maligna erant, fratris autem eius iusta.*

Et si hinc inferas: ergo Martyrium est privilegium